

CENTUM QUINQUAGINTA SENTENTIAE DEPROMPTAE EX COMMERCIO EPISTULARI, QUOD INTER SODALES 'GREGIS INTERRETTIALIS LATINE LOQUENTIUM' ANNIS MMVII ET MMVIII HABITUM EST.

Sicut in superioribus 'Academiae Latinitati Fovendae' conventibus, qui anno MMII et anno MMVI habiti sunt, nonnullas Latinitatis vivae sententias a sodalibus 'Gregis Latine loquentibus' scriptas rettuleram, ita hoc in conventu Ratisbonensi documenta quaedam ex epistulari quorundam eiusdem Gregis participum commercio deprompta referre opportunum duxi. Gratias igitur maximas ago huius conventus moderatoribus pro facultate mihi perhumaniter data ut, vel e paucis quas lecturus sum sententiis, pateat linguam Latinam ad omnia exprimenda etiamnunc adhiberi posse. Ne autem sententiae infra relatae ab conventus argumento, quod 'Ad fines Imperii Romani- anniversarium bismillesimum clavis Variana' spectat, omnino alienae esse videantur, addam haec: sicut praeclera Arminii victoria grave Romanorum imperio vulnus intulit, ita non sine infausto cultus civilis atque humanitatis damno lingua Latina maximeque eius usus vivus hac aetate nostra neglegitur et contemnitur. Praeterea qui Latinitati adversantur, haud multum differre mihi videntur ab hominibus de clade Variana nimis gaudentibus. Hi enim memores fortasse sunt illius ducis Caledonici, nomine Calgacus, qui, cum suos milites ad acriter pugnandum adhortaretur, in Romanos invectus est ita: "auferre trucidare rapere falsis nominibus imperium, atque ubi solitudinem faciunt, pacem appellant", ut apud Tacitum legitur ('De vita et moribus Iulii Agricolae', cap. XXX, 6). At neque acri neque aequo iudicio historico praediti videntur esse qui silentio praetereant aut neglegant verba haec: "Nam pulsis, quod dii prohibeant, Romanis, quid aliud quam bella omnium inter se gentium existent? Octingentorum annorum fortuna disciplinaque compages haec coaluit, quae convelli sine exitio convegentium non potest" (Taciti 'Historiarum liber IV', cap. LXXIV, 3). Hoc tamen sententiarum thesauro- aperte fateri licet- multa continentur, quae spem alant fore ut pernibili linguae Latinae clades veluti illa Variana nondum impendeat. (N. B. Sententiae omnes ita transcriptae sunt, sicut ipsae in sodalium epistulis leguntur).

Victorius Ciarrocchi, Italus Pisaurensis, eiusdem Gregis interretialis ab anno MCMXCVI particeps, mense Iunio a. MMIX scripsit.

Anno MMVII.

- 1) ACCIUS (Akihiko Watanabe), Iapo Americanensis, scripserat: "In hoc situ inveniri possunt poemata quorundam: <http://www.suberic.net/~marc/poesislatina.html>. Quos poetas haud omnes legi, sed praecipue laudaverim Bradlum Walton Maximumque nostrum Scorsone necnon Alexandrum Smarium. Sunt quoque alii admirandi ingenii. Ipse quidem posui nugas a me quondam scriptas hic <http://myweb.facstaff.wwu.edu/~Watanaa2/Latin%20Writings/Poema ta+Accii.pdf>, sed sunt risu potius dignae" (in epistula 'Poesis latina recens', 17 Ian. 2007).
- 2) AGRICOLA (Hermann Gottschewski), Germanus Iaponensis et huius 'Gregis Latine loquentium' Moderator: "Montibus et maribus quae et vinis melleque abundas,/ Italia, at ploras; quem miserere putas?" (in ep.'De Italorum populo et lingua', 27 Apr. 2007).
- 3) AGRICOLA: "Hanc diem multi nostrum manebant, haec dies advenit. Cum fortasse Latinitas aeterna non sit, tum Benedictus XVI id fecit, ut paulo longius superfutura sit. Bona

hora est haec non solum Latinitati, sed culturae omni occidentali" (in ep. 'De litteris apostolicis', 7 Iul. 2007).

4) AGRICOLA: "Nuper numerus epistulas a grege accipientium decrescit [...] Equidem non solum in Universitate mea studentes adhortor, ut Latine scribant loquanturque, sed etiam in grege quadam Japonice de lingua Latina scribentium coepi nonnumquam Latine scribere, et in eodem grege parvum circulum duodecim virorum feminarumque condidi" (in ep. 'De Latine loquentibus ad epistulas ad gregem mittendas incitandis', 4 Oct. 2007).

5) ALBERTUS LEONGOMEZ, Columbianus Bogotensis: "Res tam male hodie in patria nostra se habent, ut iam mea spes ponere nequeam nisi apud peiores inimicos patriae... Id est, apud ipsos homines sceleratissimos, parastrasticos scilicet, qui, fortasse, a iudicibus interrogati, tandem cunctam terribilemque veritatem de ipsorum sceleribus fateri decernant..." (in ep. 'Tromocratia evulsa non est', 25 Mai. 2007).

6) ALBINUS (Daniel Dutoya), Francogallus Hispaniensis: "Nolite obliviscari nuntios Italicos etiam audiri posse apud Ephemeridem (in formato Mp3, quamquam paululum minori qualitate): <http://ephemeris.alcuinus.net/catinenses.php> Praeter nuntios Italicos, nonnullae symbolae etiam ibi auscultare poteritis. E. g. : <http://ephemeris.alcuinus.net/disticha.php> <http://ephemeris.alcuinus.net/nuntius.php?id=3D311> <http://ephemeris.alcuinus.net/nuntius.php?id=3D310> etc. etc..." (in ep. 'De nuntiis radiophonicis catinensibus', 22 Mart. 2007).

7) ANDREAS LANIUS, Hungarus Americanensis: "Miro modo vos lamentamini verba eius qui casum insontis deplorans, atrocitate rei commotus, aliquid indignanter hic scripsit. Super ipso autem facinore infando - de tribus loquor insontibus iniuste iugulatis - ne unam quidem lacrimulam effunditis. Qualis rogo miseratio est haec? Qualis humanitas?" (in ep. 'Barbaries in dies gliscente', 24 Apr. 2007).

8) ANDREAS LANIUS: "Satis est scire totius negotii cardinem in eo versari (me quidem judice) quod Italos spe atque animo esse generatim dejectos auctor asserit atque compagem in Italia politcam medendam retur [...] Quanti his diebus quaesitant atque promittunt mundum meliorem mutando "structuras" sive compages politicas dum libertas hominum sub pedibus conculcatur, non ab aliis plerumque sed a nobismetipsis, nam, sicut scriptum est de peccato "a quo enim quis superatus est huius et servus est." (in ep. 'De nonnullis Italorum angustiis seu cur ipsi sibimet nocere videantur', 14 Dec. 2007).

9) ANDREAS SMELIK, Polonus: "Non expecto a te longiores epistulas sed sicut Cicero amico suo ita egomet Te quaeaso, rescribe tantum illo modo: si vales bene est ego valeo - et hoc mihi satis facit. Inter gregales laetitia magna orta est, tecum Angela, denuo scribendo via electronica loqui" (in ep. 'reditus', 9 Oct. 2007).

10) ANGELA (Nenad Rozic), Croata Zagabriensis: "Ecce ad gregem, qui mihi valde deerat, postremo redeo - desunt mihi colloquia interretialia cum doctoribus, desunt controversia. Etsi otium nullo modo auctum, voluntas legendi literras Latine pulchre atque ornate conscriptas haud diminuta [...] Voluptate legendi epistulas vestras incitata sum. Satis mihi erit multa legere, paulum rescribere, quando otium dabitur" (in ep. 'reditus', 7 Oct. 2007).

11) ANNA MARTIN, Americana: "Ego scripsi: <"omnes sententiae universales falsae sunt, etiam ea quam hic scribo."> et tu scripsisti: <"omnes sententiae universales falsae sunt"; itane putas? Estne igitur falsa, ut unum adferam exemplum, sententia universalis haec: "Omnes eo cogimus"? (Horatii 'Carm.', II, 3, 25)>. [...] "Omnes sententiae universales falsae sunt" sed

haec sententiae quoque sententia universalis est ergo haec sententia falsa est ergo non omnes sententiae universales falsae sunt" (in ep. 'de sententiis universalibus', 8 Iun. 2007).

12) ANTONIUS DOMINA, Italus Senogallensis: "Carmine tuo dimetris iambicis exarato libentissime fruitus sum, optime Agricola. Utinam gratulatio nostra possit illi patefacere non tantum vanam audaciam, sed potius firmum consilium bonae usque tuendae Latinitatis, non-nunquam nonnullisque adversantibus spretum, pluribus esse cordi! [...] Verum inter Pontificis et Latinitatis nostrae consilium aliquid interest [...] Itaque, moderator optime, precor ut in fine carminis tui subscribatur nomen meum inter ea gregalium consentientium" (in ep. 'SUBSCRIPTIONES VESTRUM QUAERUNTUR: EPISTULA AD PAPAM', 15 Aug. 2007).

13) BRADLIUS WALTONUS, Canadianus Torontonensis: "Gratias ago vobis, qui aenigma solvere conati estis. adhuc incertus sum, quaenam sit endoatio vera, sed, sententia mea, solutio optima esset, VIRTUS UT SOL MICAT, si f# in signatione clavis compertum esset. sed f# deest. fortasse licet credere, auctorem voluisse illud f#, tamen editorem vel exscriptorem omississe" (in ep. 'aenigma: gratias ago', 11 Oct. 2007).

14) BRENNUS LEGRANUS (Brian Bishop), Britannus: "Modo didici centrum Bruxellis fautorum linguae Esperanto exsolvere circiter 50,000 euronnes per annum ad linguam suam praecomandam in Unionis Europaeae sede. Hoc dicit ad quaestionem, "Quot euronnes pro lingua latina exsolvuntur, non solum Bruxellis, se etiam in tota Europa ad linguam nostram praecomandam?" (in ep. 'Favor linguae latinae', 7 Iul. 2007).

15) BRENNUS LEGRANUS: "Quamvis linguam nostram colam e suavitate, pulchritudine, &c., numquaquam eam vocaverim "nobiliorem". Ceterum in memoriam meam venit origo ejus potestatis -- bella et genocidia hominum et linguarum. Identidem me quaero si idem dixerimus de lingua Punica Carthaginensium, si modo Romanos vixerint. Utinam Hannibal ad Romam iter verterit!" (in ep. 'Ut verba Punica etiam Latine reddantur', 22 Sept. 2007).

16) CAESAR SANTUCCI, Italus Florentinus: "Cavendum est vero ne spernamus consilia eorum qui aliquid suadere conantur quo meliorem mundum fiat. Cauti erga rerum novarum (vel potius summae rerum) cupidos semper simus, laudatores temporis acti neque, ut graece dicam, misoneistae, numquam" (in ep. 'De mundo perfecto', 4 Mart. 2007).

17) CAROLUS PETREIUS, Columbianus Bogotensis: "Nam oppido Floridae quod vocatur Orlando Femina feminam illi suspectam rivalem fudit piperinis adorta fummis [...] venit inque collegam suam, ob amorem collegae, quicum habet quandam consuetudinem "magis quam officiale, minus vero quam teneram" obfundit speciem irritantem oculis, quae piperi fit ex Indico substantia mixto ad latrones victimis detinendos aptam" (in ep. 'De quadam dura lege', 8 Febr. 2007).

18) CAROLUS PETREIUS: "Dicam duos esse in mulieribus conspectus sive momenta extrema, quae inter se non contemperant: alterum patientiae summae, alterum summae iracundiae. Hoc patet mihi ex contemplatione mearum, quarum in gremio educatus sum, -nam illae solent esse magistrae vitae, sorores, matres, avae...-, ut earum patientiam admirarer, iracundiam vero, quam excitam nemo mitigare valebat, formidarer. Accidit enim, ut quo magis eas ad pacem tranquilitatemque revoces, eo magis irascantur" (in ep. 'Pace illarum...', 4 Mart. 2007).

19) CAROLUS PETREIUS: "Interim, si voluptatem privatam pro fine haberemus, neminem fugeret stultos fuisse, qui tam longa et arida 'via' latina ad gaudium grassati essent. Praesertim

cum sint exercitia, in quibus prona voluptas adest, et oblectamenta quae multo minore tempore perficiantur" (in ep. 'De Latinitate, quae oblectandi causa colatur', Kal. Aug. 2007).

20) CAROLUS PETREIUS: "Fortasse non eligendo quem in alta caelibatus via imitarer, sed videndo terentes illam tristissimam (tristissimamque) coniugii semitam, bono frui quam bonis rui malo, nec ratio motura me ad statum sumendum videtur ulla, quo statu sit supervacaneum stare quemcumque deterret fletus, morbus, rogus puerilis, ceteraeque paterni necessitates aevi quas ex Euripide transtulisti nobis" (in ep. 'De matrimonio quaedam Euripidis verba', 27 Dec. 2007).

21) CYNETUS VALESIUS (Kenneth Walsh), Americanus: "Nuper censueras, si bene omnia intellegi, nobis mirandam patientiam frigoris famis dolorumque corporis praebitam a gymnosophistis Indiae. Prorsus tibi consentio. Quod ad famis patientiam attinet, hoc addam: utinam mihi illa potestas ferendi famis esset! Deliciis mensae crebrius spretis corpus nunc adipis foedi onustum graditum tenuaretur" (in ep. 'De indole indolente deque simia palati', 21 Nov. 2007).

22) CYNETUS VALESIUS: "Sedibus in suis sidera inhaerent. Mundum expectat ut semper aliquid et huc illuc quiescere vult. Quae fuerunt evanuerunt fugentia tantum relinquentes umbra memoriasque lubricas. Futura opacissima nullis ut opinor luminibus penetrari possunt" (in ep. 'Sedibus in suis sidera inhaerent', 22 Dec. 2007).

23) DARCIUS CARVALIUS (Darcy Carvalho), Brasilianus: "[...] Lingua latina necessaria ad hoc obietivum certe non est ea difficillima Horatiana, Liviana, Virgiliana, Erasmiana, Ciceroniana, Pliniana, Orbergiana, sed ea simplicissima quam postulavit Hieronymus, quam legimus in Vulgata Latina, vel ea cultior quam invenimus in paginis Blasii Amatae, nominatis Latinitas Christiana, vel in Nuntiis Latinis Finnis" (in ep. 'Quod patet non caret demonstratione', 26 Mart. 2007).

24) DIONYSIUS SILVANUS (Dennis Wood), Britannus Birmingamiensis: "In dies nova videmus exempla odii in Christianos Occidentalesque necnon necessitatem nostros strenue defendendi. Bellum anno iam 2001 p. Chr. n. quam apertissime populo nostro indictum est. Hostes, quorum consilium est omnes servituti subiicere, novis insidiis, praestigiis, minis quotidie nos ludere conantur" (in ep. 'Optionem non habemus', 25 Apr. 2007).

25) DIONYSIUS SILVANUS: "Episcopi Britannorum, qui saeva maiorum praecepta aspernari et respuere atque regimen Antonii Blair / G. Brown tacite alere et sustinere saepe videntur, Latinitatem vetustam horridamque esse censem nec nostri tam humani saeculi. Hoc ut dogmatum ecclesiae Romanae sectator invitus scribo, sed "magna est veritas"... Papae gratulationes facio" (in ep. ,Motu Proprio: SUMMORUM PONTIFICUM', 7 Jul. 2007).

26) DOMINICUS VIAIN, Francogallus: "Tam lucidae ac perspicuae sunt illae Litterae ut agnostici etiam vel infideles, qui dicuntur, non sine emolumento eas perscrutari possint. Omnino vero est falsum id quod sancti Pontificis inimici vel potius hostes ubique divulgaverunt, i.e. Sanctam Sedem methodos scientificas in rebus biblicis et connexis adhibitas condemnare ac repellere [...] Etenim, non tam inter fideles et infideles exstat discrimin illis in rebus, quam inter illos potius qui "res ipsas" ("realitatem" quam vocant scolastici) admittere solent et istos qui nihil esse sub sole consentiunt nisi in/trans/per mentem humanam solam [...]" (in ep. 'Nonnulla ex litteris encyclicis <"Pascendi..." excerpta et aliquid de modernismo>', 8 Sept. 2007).

- 27) DONALDUS RYAN, Americanus Floridianus: "Quidam iurisconsultus, in actis diurnis "Caymanensibus Nuntiis Interretialibus" commentaria scribens sub nomine adsumpto "Major" (sed cuius nomen verum est Stephanus Hall-Jones), saepe sermones Latinos usurpat, ulti Latinitatem laudans. Unus lector acerbus, his observationibus haud oblectatus, respondit cum epistolis flagitious, appellans illum advocationem "trifaucem latratorum infernalem." In quadam epistola, iste criticus, nomine Scot, inlaqueatus verbis suis, incidit erroris gravis foveam, Senecam et Ciceronem inscite confundens" (in ep. 'Epistolarum commercium in Caymanen-sibus Insulis', 24 Iun. 2007).
- 28) EDUARDUS CASEY, Americanus Minnesotanus: "At abs te prorsus dissentior de neces-sitate versiones evitandi ad verbum factas, Andrea [Gollan]. Nam aliquis se appellans arbitrum elegantiarum seseque locutionibus Ciceronianis coercens aliquid omnino minus vivi-dum, pallidius, debilis, immo aliquatenus abs re effabitus [...] Nonnulli certe talia effata tamquam maxime Folenghiana condemnabunt sed illi plerumque inimici sunt Latinitatis vivae" (in ep. 'de adagiis exquirendis', 17 Febr. 2007).
- 29) EDUARDUS CASEY: "Num consulto an casu nescio, sed acu tetigisti, Victori, maiorem causam mutationis in pronuntiatione, nempe auscultationem temerariam rerum quas audire nolumus. Alterum exemplum huius symptomatis est imperativus verbi faciendi, quia tantum difficile adolescentibus nostratis hormonibus distractis doceatur sine cachinnatione pro-nuntiatus castus huius voculae. Prorsus idem effertur ac verbum Anglicum futuendi. Magistri igitur perperam dicunt faac pro fac" (in ep. 'De pronuntiatiu...', 25 Mart. 2007).
- 30) EDUARDUS CASEY: "Sine fundamentum Latinitatis omnes (sed imprimis eae in pe-ripheria Europae (Anglica, Theodisca, Finnica, Hungarica, sedecim aliae) in ruina cadent. Sine Latinitate nullo modo condicionem provectam qua nunc fruuntur conservare poterunt [...]" (in ep. 'De Latinitate, quae oblectandi causa colatur', Kal. Aug. 2007).
- 31) ENNIUS TONILO, Brasilianus: "Gratias tibi ago ob nuntium tuum de Sergio Cotta. Numquam nomen eius audiveram - et nunc scio eum esse verum virum - sicut innumerabiles alios Italos" (in ep. 'De Sergio Cotta, eximio iuris magistro ac viro integerrimo', 13 Mai. 2007).
- 32) FRANCISCA PARVA, Britanna Eboracensis: "Agricola scripsit: "Dicuntur enim feminae maiorem vocabulorum thesaurum in potestate sua habere quam viri." Omnia nescio num hoc verum sit sed est sane sententia plurimarum feminarum viros saepe audire neque eodem tem-pore auscultare vel vice versa. Non arbitror tamen eos in animo habere - semper - se male gerere. Non vitium est, ut puto, sed tantum diversitas inter genera [...] Mea sententia, viros oportet viriles esse praesertim contra iudicium femineum. Differentiae inter genera celebrari debent neque extingui" (in ep. 'De copia verborum', 11 Mart. 2007).
- 33) FRANCISCA PARVA: "Attamen a te [a Brenno Legrano] gravissime quaerere velim num putas linguam Latinam vel ullam linguam auctorem et concitator bellarum et genocidiae esse posse? Vel quidem linguam Punicam tantum ex pace, amore humanitatis, rebus rusticis necnon mercatura commercium evoluisse? Imperium Britannicum nostrum quidentenus, sicut omne imperium vel vetus vel recentius, ex sanguine lacrimisque et nostri et aliorum conditum cultumque est" (in ep. 'Utinam Hannibal ad Roman iter verterit!', 23 Sept. 2007).
- 34) FRANCISCUS COLLARD, Francogallus: "Ergo igitur ego, Franciscus Collard, in Fran-cogallia, *subscriptionem meam recuso*, quoniam cum isto papa omnino dissentio, et, ut vera dicam, litteras istas, antiquo quodam stilo scriptas, nostis temporibus mihi ridiculas videri

fateor. Latinis quidem studeo litteris, sed non istis" (in ep. 'SUBSCRIPTIONES VESTRUM QUAERUNTUR : EPISTULA AD PAPAM', 15 Aug. 2007).

35) GULIELMUS CELESTINO, Argentinus: "Etiam mirabilem, perscrutator Dionysi, esse indaginem putare mihi est dicendum. Adtente recentiorem epistulam tuam de eo alteramque legi, mirans quod scientia iter per spatium et per tempus ad originem stirpis tuae recreandam nos donaret. [...] Quanta varietas thematum grege dicitur! Quam ob rem plurimae gratiae omnibus ab me agendae sunt" (in ep. 'Iterum de re mirabili', 24 Nov. 2007).

36) HERBERTUS DOTING, Batavus: "praeter primam epistulae tuae sententiam ne verbum quidem vestrae latinitatis intellexi. liceat tamen mihi addere hoc: scripreras: "nihil addent novo", ubi rectius scribendum: nihil addent novi. est simplex grammaticae regula, quam semper observemus oportet. itaque mendos corrigere semper operae pretium est" (in ep. 'Opinor', 17 Febr. 2007).

37) HERBERTUS DOTING: "Tamen, ut verum confitear, in amica eligenda mihi haud displicet illud Publili Syrii: 'formosa facies muta commentatio est'. (Publ. Syr. 169) [...] ergo non temere libellum, Francisca, tuum composueras sic: "pulcher divesque...quaerens..." ne verbo quidem de peritia linguae Latinae prolato" (in ep. 'quot discipuli in Germania linguam Latinam discant', 9 Mart. 2007).

38) IACOBUS (Santiago Martin Ciprian), Hispanus Iaponensis: "Longos annos in insulis Japonicis habito. Hispanus sum, nativam linguam meam doceo. Latinae peritiam satis non habeo, amorem magnum" (in ep. 'de die natali Imperatoris Iaponiae', 27 Dec. 2007).

39) IOANNES OLEASTRENSIS (Juan Garcia Gutierrez), Hispanus: "Ita se res habent: Grex sumus membris circiter CCXL plus minusve, quorum maxima pars spectatum venit "tauros ex vallo ligneo" ut quidam -ego fortasse- dixisse memini [...] Itaque alii spectatores, alii gladiatores aut agonistae partes agunt, plausus et gloriam interdum accipientes, interdum vulnera et reprobationes praemiis donati" (in ep. 'Valedicere vobis aliquamdiu oportet', 10 Febr. 2007).

40) IOANNES OLEASTRENSIS: "Macte, Agricola, pro versibus tuis, dimetris iambicis, ni fallor, conscriptis, quibus Pontifici Catholicae Ecclesiae gratularis, ut egregio linguae Latinae fautori et cultori [...] Mihi vero videntur digni ut mittantur Ecclesiae pastori supremo. Adde nomen meum ceteris consociorum nominibus approbantium" (in ep. 'MODERATOR SODALIBUS : Epistula gratulatoria ad Papammittenda', 11 Aug. 2007).

41) IOANNES OLEASTRENSIS: "In actis diurnis matutinis luctuosam notitiam invenimus hodie: Lucianum Pavarotti, Italum cantorem celeberrimum, perisse cancro arreptum. Cuius vocis tenorem saepe admirati sumus, Hispani praesertim, nam cum eiusdem generis cantoribus Hispanis ille conversatus est plerumque, nominatim cum Hispanicis Placido Domenico et Iosepho Carreras, quibuscum ille cecinit pluries ternis consociatis gutturibus. Hodie chorus musarum, Polymnia duce, luget, plorat, plangit obitum Luciani et musicorum genus maestum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli (Hor.S. 1.2.3)" (in ep. 'Vale, Luciane eximie!', 6 Sept. 2007).

42) IOSCIUS ROCCHIO, Americanus: "Ut nonnulli vestrum iam fortasse sciatis, maeste non est interfacies Latine scripta apud situm Civitatis Vaticanae. Dr. Annula Llewellyn, quae semper colet Latinam linguam et praecipue vivam in CFA, petitionem interretiale Papae Benedicto XVI incepi ut ille sinat creationem talis interfaciei. Est apud iPetitio, modo sequimini hunc nexum: http://www.ipetitions.com/petition/pro_lingua_latina Non sum vir re-

ligiosus. Nihilominus, per me nostra lingua habeat locum inter alias linguas apud Vaticanam" (in ep. 'inopia interfaciei Latine scriptae apud situm Civitatis Vaticanae', 11 Iul. 2007).

43) IUSTINUS MANSFIELD, Americanus Chicagensis: "Non omnia apud Vicipaediam Latinam laudanda sunt, sed feliciter accidit quod melius scribentibus licet omnibus menda corrigere. De "co-funditore" horresco referens, sed gaudeo auctores non scripsisse potius "confusorem" ;)" (in ep. 'Bonipedia et Malipedia', 16 Mart. 2007).

44) IUTTA VOGEL, Germana: "Jutta Angelae carissimae salutem plurimam! Bene est te revenisse, iam melius est te epistulas scripturam esse, optimum autem erit nos iterum conventuras, aut cum aut sine discipulis!" (in ep. 'reditus', 8 Oct. 2007).

45) IVO SOUZA, Indus Goanus: "Me iuvat epistulas vestras legere. Pro dolor! non multum scripsi his mensibus. Nescio quot cives ex India epistulas gregi mittant. Spero me multum a vobis disciturum. Didici iuvenis sermonem latinum, sed opportunitatem scribendi non nactus sum. Nunc tempus est plures epistulas gregi mittendi" (in ep. 'De Latine loquentibus ad epistulas ad gregem mittendas incitandis', 4 Oct. 2007).

46) LAURUS POERSCH, Brasilianus: "Gratias utique tibi persolvo, urbanissime Agricola, humanissimus Moderator Gregis Latine Loquentium, pro Epistula Gratulatoria ad Papam, quidem absque properantia mittura, cum *pulcherrime* impressa. Tibi quoque pro magni inceptus profectu gratulor, doctissime Moderator" (in ep. 'Epistula Gratulatoria ad Papam', 3 Sept. 2007).

47) MANFREDUS ROESSLER, Germanus Monacensis: "Ego quoque nomen do ut ponatur in fine litterarum quae ad papam dabuntur. Nec catholicus nec Christianus nec deos vel deum esse putans fator me non paulum haesitasse. Verbis autem Tulliae Scholasticae ("non intellego qua de causa aliquis nostrum subscribere nolit; non de religione [sola quidem] agitur, sed de Latinitate.") persuasus assentior. Ceterum versus ab Agricola conscriptos pulcherrimos et maxime artificiosos et iucundissimos esse reor" (in ep. 'Subscribo', 14 Aug. 2007).

48) MARITONUS SILVA LIMA, Brasilianus: "Omnes gregis epistulas lego et mihi placent. Fluentiam ad scribendum non habeo. Ratio quia non scribo" (in ep. 'Schola latinitatis', 7 Oct. 2007).

49) MAXIMUS APOLLINARIS (Massimo Scorsone), Italus Taurinensis: "[...] accipias ergo libenter quae Latine Iosephum Tomasi de Lampedusa vertens ex Italico sermone reddideram, Petrarchae forsan haud immemor Boethiique simul nostrorum: "Cogitans ille quidem, ut solebat, tum qualiter ex vita foret egressurus, tum quomodo iam diem alii obissent supremum, tam mortis exspectatione serenabatur quam aliorum exitus secum ipse reputans commovebatur" (in ep. 'De mortis cogitatione', Kal. Apr. 2007).

50) MAXIMUS APOLLINARIS: "Iratus nempe, Anna spectabilis, scripsi quod scripsi. Locutiones autem Bibliorum vestrorum illas eram velut interpretatus, quae in Psalmi CXXXVI clausula leguntur -- in illo scilicet "Super flumina Babylonis" --, quaeque meis multo magis crudae sunt [...] Numne satis quod dixi? Legas ergo, sis: "Filia Babylonis misera! beatus qui retribuet tibi Retributionem tuam quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit, Et allidet parvulos tuos ad petram" (vv. 8-9)" (in ep. 'Barbaries in dies gliscente...', 22 Apr. 2007).

51) MAXIMUS APOLLINARIS: "Optime scripsisti, Carole egregie: est enim, ut quondam Latinistarum quidam praeclarus ait -- i. e. Ioannis Ker, in "Selectarum de Lingua Latina Observationum Libri duo", Londinii 1709 -- "pinguis soloecismus" (sed meo iudicio pulcher-

rimus!) qui et apud Phormionem illum Terentianum, ni fallor, invenitur" (in ep. 'Vapulandus, a um?', 27 Apr. 2007).

52) OLEARIUS LUNARIS (Oliver Mundy), Anglus: "Ne autem specimine artis Grahamensis careamus, ecce duæ uersiones [nimis] pedestres: - 1. Nuntiatum est domino Johanni: 'Malum accidit: seruus enim tuus in duas partes diuisus obiit.' Quibus ille: 'Itane? Age ergo, illam partem quæ claves meos portat ad me uenire iube.' 2. Gulielmus paruulus, splendide uestitus, in focum collapsus ad cinerem reductus est. Nunc autem, cum frigore magis magisque opprimar, tamen ignem exagitare, Gulielmum turbando, minime placet" (in ep. 'Fabula triarum linearum', 13 Sept. 2007).

53) OLIVARIUS RIMBAULT, Francogallus: "Sunt qui adhuc somniant linguam Latinam in finibus occidentis singulariterque in hodierna Europa denuo communis cotidianique usus fieri. Quid vero animadvertere licet? [...] Immo, cum tales vindicationes ipsae nihil novi aequalibus nostris afferant, Latinitatem rem moribundam esse clarius indicant, nisi apud eos paucissimos fortunatosque homines quibus otia umbratica opesque publicae sunt" (in ep. 'Longior oratiuncula post longius silentium', 16 Sept. 2007).

54) PATRICIUS TWOMEY, Americanus: "Interdum quod simplex est et quod ad res in vita iucundas narro. Tandem aliquando domo nostra die iii mense Februario abscedimus aeroplano Chicagum atque Chicago Phoenicem Arizonam atque Phoenice Kauaiam sine difficultatibus aut moris longissimis. Ad aeroportum Kauaium in oppidulo nomine Lihue hora sexta post-meridiem advenimus [...] In aere placidissimo iucundo temperato (est paradisum tropicum) cenaculi locum investigare nostri incepimus sentientes ventum optimum. Certe iam sciebamus matrimonium esse iucundum optimum fortunatum" (in ep. 'Iter iucundum', 22 Febr. 2007).

55) PAULUS VILLAOSLADA, Hispanus: "Et Heidegger homo esse entem ad mortem retulit, cum nostra vita finitati obnoxia sit et ideo unumquemque hominem exigere consilium destinantumque ad suam vitam magnopore oporteat [...] Tunc quasi omnes possibilites insunt illis. Adultis vero et praesertim veteris non tot varia agi, contra perpaucia. Debentne tamen animo tristi homines haec ferre? Nequaquam, meo sensu. Illi iam partem suaे aetatis aliquatenus spinosam transierunt" (in ep. 'De vitae meditationula', Kal. Apr. 2007).

56) PAULUS VILLAOSLADA: "Quin etiam pauci sumus assidui in scribendo et fieri potest ut litteras quasdam neglegamus (si non sunt nostro nomine adnotatis in salutatione), propter officia et quia longe absint a nostris studiis et palatis [...] Qua de causa fortassis oporteat, quod aliquando mentionem nonnulli faciamus de rebus minoribus, sicut certaminibus pedifollicis et pelliculis et musica leve et aliis praeterquam de rebus summis et editissimis quoque dissertemus" (in ep. 'De Latine loquentibus ad epistulas ad gregem mittendas incitandis', 6 Oct. 2007).

57) PETRUS BIRD, Britannus: "His temporibus nostra vita est sola res quam habemus. Unde venimus? Nescimus. Quo vadimus? Nescimus. Aliquo vadimus? Speramus. Ei qui fide locupletantur felices sunt. Ei qui nullam fidem habent admittent se certos esse mortem finem absolutum vitae dat [...] Fides nostra forte debilis est sed honesti esse nos oportet, praesertim cum finem nostrae vitae paulatim approprinquaremus" (in ep. 'Quot anni...', Kal. Apr. 2007).

58) RADULFUS FORESTIERI, Americanus: "[...] nam tuam legens epistulam de Sancta Casuum impossibilium multa de ipsa Sancta didici" (in ep. 'De Sancta Rita Casciensi', 23 Mai. 2007).

59) RADULFUS PLATZ, Americanus Californianus: "His de rebus, quae supra naturam sunt, certitudinem naturalem nemo habet. Sed ei qui fide Christiana vivunt credunt se Christi resurrectionis participes futuros esse" (in ep. 'Quot anni...', 2 Apr. 2007).

60) RAPHAELA TURBINO, Itala Genuensis: "Die Sabato crustula coxi [...] Audetne aliquis haec crustula secundum praeceptum meum facere? Crustula cum algarroba. Quibus rebus opus sit: 350 grammata farinae albae/ 100g sacchari minuti/ 120g butyri, minutatim concisi/ 2 cochlearia thearia sacchari vanilla odorati/ 8 cochlearia thearia algarrobae molitae (Anglice: carob powder)/ 2 cochlearia thearia natri bicarbonici/ aliquantulum salis/ 2 ova/ 2 cochlearia floris lactis (sive lactis)" (in ep. 'De re crustularia', 16 Apr. 2007).

61) RODERICUS PORTELA SANCHEZ, Hispanus Vallisoletanus: "Nomine quidem meo nullo prorsus modo illam epistulam subscribi vel subscribi intelligi volo. Neque sane de forma ejus poetica queror.:-)" (in ep. 'SUBSCRIPTIONES VESTRUM QUAERUNTUR: EPISTULA AD PAPAM', 13 Aug. 2007).

62) RUDOLPHUS MASCANTONIO, Americanus Pensilvaniensis: "Felicitates et salutaciones Nataliciae , sodales benignissimi, ex corde meo sincere ad vos mitto et hunc textum quoque carminis de Rudolpho Cervo ut forsitan cantetis! <Rudolphus cervus nasum/ Rubicundum habebat/ Quem si videre possis/ Elucere referas./ Ludificare cervi/ Deridentes solebant,/ Neque sinebant eum/ Comminus colludere./ Ecce! Dixit Nicholaus/ Pridie festum/ "O Rudolphe nocte hac/ Visne traham ducere?"/ Quam tunc iucundus fuit/ Cervis iubilantibus./ "Rudolphe," nunc dicebant,/ "Notus eris posteris!"> (in ep. 'Salutationes Nataliciae', 24 Dec. 2007).

63) SIMONA KARLHUBER, Austriaca Lentiensis: "Gratias pro verbis tuis de Frida Kalho, cuius vitam in pellicula vidi. Mihi quidem homines maxime mirandi videntur, qui morbo vel doloribus gravibus affecti tamen magna vi vitam suam agunt et insuper, ut Frida, opera magna conficiunt" (in ep. 'Frida Kalho', 11 Jul. 2007).

64) SIMONA KARLHUBER: "Certe interdum mihi res, quas homines agunt vel dicunt, ridiculae videntur (non homines ipsi, nam bona fide sunt); sed minus saepe quam antea, cum non semel postea me erravisse cognoverim. Homines et opiniones eorum inter se maxime differunt neque me neque quemquam veritatem possidere puto. Itaque, optime Victori, quamquam tibi omnia bona exopto, in hac re tibi servire non possum" (in ep. 'De irrisione', 24 Jul. 2007).

65) STANISLAUS TEKIELI, Polonus: "Librum legens scriptum a rerum gestarum perito Polono Witold Kula "Mensurae et homo" inveni notam de mirabili quadam mensura longitudinis olim in Slovakia in usu, de ictu scilicet securi, sed retrorsus, homine iactanti in sella posito. Qui ictus aequabatur dimidia parti ictus securi "regularis" (prorsus, homine stanti) [...] De his rebus disceptatio sit fortasse non solum mihi iucunda..." (in ep. 'de mensuris miris', 30 Sept. 2007).

66) STEPHANUS DI BRAZZANO, Italus Tergestinus: "Eadem insania ac Sardinienses, et regionis meae Foroiuliensis-Venetae Iuliae rectores laborare uidentur. Etenim his ipsis diebus et apud comitia regionalia nostra de duabus legibus agitur, quibus animus est linguas Foroiuliensem necnon Slouenicam discipulorum ciuiumque collis quodammodo imponere. Rectores, factionis laeuae addicti, statuerunt ut linguae Foroiuliensi qua talis discipuli incumbant in cunctis scholis dicionum Vtinensis et Portusnaonensis, necnon in aliquibus uicis dicionis Goritiensis [...] Mala tempora currunt" (in ep. 'De quodam incepto scholastico Sardiniensi', Kal. Oct. 2007).

- 67) STEPHANUS ARX (Rocca), Italus Genuensis: "Teste quoque Hermanno Menge ("Syntaxis", scilicet, Germanico sermone, "Lehrbuch der lateinischen Syntax und Semantik", Darmstadt 2000, pp. 553ss.), "quis", masculinus, non tantum pronomen, sed etiam adiectivus est et sane adhibere possumus pro feminino. Nihilominus "quae" est adiectivus interrogativus generis feminini" (in ep. 'Quaestionem habeo', 14 Oct. 2007).
- 68) THOMAS FUCHS, Germanus: "adhuc vivo, quamquam diutius in Latinitate non versatus sum. Sed Inga me heri ad Latine loquendum invitavit et hoch modo me ad linguam Latinam revocavit" (in ep. 'Adhuc vivo', 2 Dec. 2007).
- 69) TIMOTHEUS CICESTRENSIS, Anglus: "Sed vatis Sabini Rudyardus ille Kipling 'cultor... frequens' et ardentissimus amator erat. In libro suo Something of Myself (Aliquid de Me Ipso) unum e magistris memorat, apud quem 'didici eum [sc. Horatium] per duo annos odisse, per viginti annos memoria non tenere, tandem per residuum vitae meae perque innumeras sine somno noctes maxime diligere'" (in ep. 'De vatibus', 14 Mart. 2007).
- 70) TIMOTHEUS MYAKIN, Russus: "Multo magis mirabilius esset, si in civitatem meam (quae Novosibirsk vocatur) per haec tempora imbrues manarent. In civitate Novosibiriensium nunc "nec iam sustineant onus (scilicet nivium) silvae laborantes geluque flumina constiterint acuto". Si aliis vestrum displicet hiems pluviosa in Europa, possum permulta narrare de hieme nostra russica, quae sit ita multo durior ut haud quidem ea imaginari possitis" (in ep. 'quot discipuli in Germania linguam latinam discant', 10 Mart. 2007).
- 71) TULLIA SCHOLASTICA, Americana: "Infeliciter, his mensibus epistulas hoc in foro legere perraro potui, ne dicam scribere--sed libenter subscribam. Gaudeamus; papam fauorem linguae Latinae habemus. Cum Eduardo Casey nostro, cui nuper obviam in eximio Conventiculo Vasintoniensi ivi, non intellego qua de causa aliquis nostrum subscribere nolit; non de religione [sola quidem] agitur, sed de Latinitate. A. Tullia Scholastica, Statunitensis et Novae Romae" (in ep. 'SUBSCRIPTIONES VESTRUM QUAERUNTUR: EPISTULA AD PAPAM', 14 Aug. 2007).
- 72) VALAHFRIDUS LINGENBERG, Germanus Palatinus: "[...] Vespertilio per fenestras late apertas domum intraverat viamque in culinam fecerat qua lumen incensum erat! [...] illa omnes fere cameras aliam post aliam hilare inspexit; in dormitorio meo tandem in angulo tecti consedit quietemque poscere videbatur. Quamquam honori mihi ducere debui domum meam adeo illi placere, tamen dormitorio hac nocte ipse volebam uti, et solus quidem, quoad fieri posset; ergo baculo iterum excitavi, et demum hospes per fenestram apertam exiit in hortos, ubi iam saepe mihi placebat spectare gyros vespertilionum ..." (in ep. 'De noctis papilionibus', 18 Iul. 2007).
- 73) VALAHFRIDUS LINGENBERG: "Congratulor imprimis tibi ipsi, Agricola, qui iterum iterumque versus maxima cum arte scripseris! Non subscribo (quippe Romanae ecclesiae non annumeratus)" (in ep. 'MODERATOR SODALIBUS: Epistula gratulatoria ad Papam mitenda', 11 Aug. 2007).
- 74) VILLELMUS COOPER, Americanus: "In hoc discrimine duos habet cultus occidentalis hostes, asseclas Mohameti fascistas Muslimas necnon asseclas rectitudinis politicae [...] Quamquam nobis paeniteat vi uti, optionem non habemus. In nostri Domini crucificati spiritu, cum dolore ac misericordia pro illis qui in proelio cadent, stare pugnareque nobis oportet. Optio servitudo morsve est. Aut vincere aut mori" (in ep. 'Barbarie in dies gliscente', 25 Apr. 2007).

75) VILLELMUS COOPER: "Ut Americanus quem gubernavit Iacobus Carter illos quattuor annos miserabiles dicens, acu rem tetegistis, Dionysi et Victori spectatissimi. Et adhuc per universam terram, non invitus, de discrimine ad discrimen, nihil enodans, errat ex-praesens. Praemium Nobelium iam recepit - nunc quid quaerit? Quem delebunt dii, primum insanum vertunt..." (in ep. 'De oratiunculis Oxoniensibus', 12 Nov. 2007).

76) VOJIN NEDELJKOVIC, Serbus Singidunensis: "Item Seneca Claudium Caesarem animam agentem sic loqui facit: "Puto concacavi me." Quae quidem sententia cum verbum reflexivum contineat, per accusativum cum infinitivo videtur omnino exprimi non posse (*Puto me me concacasse)" (in ep. 'Puto, deus fio!', 19 Apr. 2007).

77) WILBAIUS NJOROGE, Kenianus: "Amici, nuperrime a me est inventum, praeter id quod opinabar antea, Latinitatem etiam in Kenia doceri; nam magister aliquis sermonis nostri, qui in quadam schola nomine Hillcrest docet, me invitavit aliquos abhinc dies ut discipulos suos visitarem, quos magno cum gaudio inveni Latine legentes ac sribentes ac etiam paulum loquentes [...] Bonum est scire sermonem nostrum vigere etiam in Africa" (in ep. 'Latinitas in Kenia', 28 Sept. 2007).

78) XAVERIUS MARTINEZ, Hispanus Caesaraugustanus: "Sed, si quod sentio aliquid valet, ne graveris audire, ecce: nobis conjunxit latinâ loquendi linguâ voluntas, sive gaudium, sive cupiditas, sive libido, sive necessitas melius vocare velit hic vel iste. Qui finis huic istive videatur universalis, nobilis, altissimus; mihi autem placet ut mediocris et privatus luxus; etiam, homini simplici, placet unam esse legem, de quolibet loqui dummodo latine. Alii leges dictent plures, dummodo mihi maneat jus non parendi. Scribo raro, lego quot epistulas possum" (in ep. 'Sphinx noster', 11 Oct. 2007).

79) XAVIERUS BARBASTRENSIS (Javier Fran), Hispanus: "Quamquam per conductum Islamicum haud paucos libros Graecos recuperati sunt (recuperati non donationis causa sed quia Occidens ui recuperauit), antea perdit sunt bellicae Islamicae expansionis causa. Belligerantiae Islamicae causa, Aegyptum, Africam et Syriam perdidimus. Etiam magna Indiae pars manu millitari a Muslimis capta fuit deletaque innumera Indica monumenta [...] Islamismus ex saeculo VII usque ad saeculum XVII pluries Occidens subiugare conatus est, pluries fere consecutus est" (in ep. 'Islam et Occidens', 25 Febr. 2007).

80) XAVIERUS BARBASTRENSIS: "Budismus pristinus genuinusue nequaquam uitam amat, immo omnino eam mundumque orbemque uniuersalem contemnit. Doloris fontes omnia desideria, omnes uoluntates omnesque cupiditates putat. necare uetat non quia uitam diligit sed quia affectus cupiditatesque despicit et quia putat neces ac generationis actus eiusdem circuli polos esse [...] Denique apud Indos pluries decies centum milia uiduarum coactae ad suicidium sunt uel fuerunt" (in ep. 'De indole indolente deque simia palatii', 22 Nov. 2007).

Anno MMVIII.

- 1) AGRICOLA (Hermannus Gottschewski), Germanus Iaponensis et abhinc quattuor annos quattuorque menses huius Gregis Moderator, scripserat: "Cum eo viro bona pars Latinitatis mortua est! Sit nostrum novam vitam proferre! Non facile est tantam hereditatem accipere!" (in epistula 'De morte Caelestis Eichenseer', die 12 Febr. 2008).
- 2) AGRICOLA: "Non autem video illas condiciones, si monacha quaedam stuprum passa sit, quas abortus minus peiores reddere posset. Stuprum ipsum per arbortum utique non minuitur. Fetus tamen donum dei est, quod monachae etiam magis quam aliis feminis accipendum esse iudico [...] Si monacha hoc donum dei interficit, rem pessimam etiam peorem facit. Nonne Maria ipsa contra voluntatem gravida facta est?" (in ep. 'De abortu/ et de quodam eius effectu mulieri nocivo', 17 Mart. 2008).
- 3) AGRICOLA: "Et gravior mihi es quam nonnulli alii, qui novi sodales fiunt nulla salutati-one dicta et iterum abeunt nulla epistula scripta" (in ep.'Novus sum', die 4 Iun. 2008).
- 4) ANDREAS LANIUS (sive Meszaros), Hungarus Americanensis: "Sunt et alia incepta "inter-retialia" sed nescio cur hunc in locum mihi saepius placet regredi quamvis fateor haud desunt aliquando commentaria quae stomachum meum movent" (in ep. 'Lingua Portuguesa imposita est', 10 Iun. 2008).
- 5) ANDREAS LANIUS: "Legi copulam cuius mentionem fecisti, ubi sententia cuiusdam concilii Anglici, linguae latinae usum arcere volentis, citatur, haec: "We advise against using certain (latin) words, particularly when staff are writing to those whose first language may not be English." Cuius sensus est: "Suademos ne adhibeantur vocabula quaedam (latina), praesertim erga homines quorum sermo patrius non est lingua Anglicana". Tamen, miror animadvertis mediam fere partem huius sententiae anglicae constare ex vocabulis derivatis ex ipsa lingua latina, nempe: "advise, using, certain, particularly, language".." (in ep. 'De linguae latinae ex rebus publicis in Britannia expulsione', 4 Nov. 2008).
- 6) ANDREAS SMELIK, Polonus: "Gaudium magnum est novam in Grege sodalem salutare. Grex Latine Loquentium praestantissimus est omnium societatum conventuumque. Gaudeamus igitur nos novam in Grege salutantes" (in ep. 'Salvete Homines!', 4 Oct. 2008).
- 7) ANGELA ROZIC, Croata: "Omne bonum omen!/ Sine maculis valetudo,/ in vita privata dulcedo,/ semper honestum nomen!/ Optimam formam mente/ et corpore habeatis/ feliciter prospere lente/ soluti curis vivatis!/ Traiano meliores/ Augusto beatores!" (in ep.'Die natali D.N.J.Ch.', 24 Dec. 2008).
- 8) ANNA MARTIN, Americana Britannensis: "et in pagina quam tu, Victori, nobis misisti, lego quoque (horresco referens) de "circumcisione feminea" -- re vera mutilatio vel tormentum puellarum est -- quam repudiare nolunt Iemeniti, quia non contra legem Islamicam est, hoc modo agere" (in ep. 'De barbara consuetudine, quae verisimiliter mutari non poterit', 14 Apr. 2008).
- 9) BRADLIUS WALTONUS, Canadianus: "Scriptum citatum dicit: "Some local councils say using Latinis elitist and discriminatory, because some people might not understand it " (mea paraphrasis: sunt conciliarii, qui dicunt, vocabulis et locutionibus latinis uti non oportere, quod sint, qui eam fortasse non intellegant.) sed etiam sunt, quorum nec pauci qui Anglice e pueritia loquuntur, qui plurima vocabula et locutiones Anglicas non intellegunt.

fortasse igitur ministros anglicos anglicis vocabulis et locutionibus uti non oportet" (in ep. 'Nonne stultum est extirpare omnes fontes latinos e lingua Anglicia?', 6 Nov. 2008).

10) BRENNUS LEGRANUS (Brian Bishop), Britannus: "Consentio cum conciliario hoc. Si anglice scribimus, non utendum est lingua latina. Olim fuit officialis qui epistulas suas farsit locutionibus latinis; ei respondit scientificus locutionibus russicis. Neuter illorum alterum intellegebat. Postea ambo anglice inter se scripserunt" (in ep. 'Nonne stultum est extirpare omnes fontes latinos e lingua Anglicia?', 7 Nov. 2008).

11) CAESAR SANTUCCI, Italus Florentinus: "Sententia Heracliti, Magnam variamque eruditionem mentem non docere, vera tantum mihi videtur si sine intelligentia ac meditatione memoriter discitur, neque nullius iurare in verba magistri volumus. Qua praesente virtute discretionis, laudandam iudico sententiam Plinii senioris nullum esse librum tam malum, ut non aliqua parte prosit" (in ep. 'De Scriptoribus', 7 Dec. 2008).

12) CAROLUS PRIETO, Columbianus Bogotensis: "Summo cum gaudio mentis hanc epistolam legi tuam, qua crassum relativismi errorem per historiam philosophicam exponis, curve adsentiaris fortissime summo pontifici adversus eum praedicanti, cuius quidem doctrinae assertum praecipuum, sicut mihi visum est, valet in iudiciis sensibilibus de rebus ut pulchritudine varie variis apparente oculis, non valet in hoc vitae adspectu qui moralis appellatur, quique certas virtutum vitiorum, honestatis flagitiique aestimationes in actibus humanis complectitur" (in ep. 'Maximus est negatio summae veritatis error', 20 Apr. 2008)

13) CAROLUS PRIETO: "Occasio vere unica fuit illa, illa mensis septembbris [anno 2007], in qua unus e nobis, nec solum unus aliquis sed Moderator ipse Gregis, ad unum Summorum Pontificum gratulationes accipiendas missurus erat [...] Nam, si quando recenti hominum in memoria oportuit, tum potissimum oportebat unam nobis pro sermone latino levari vocem" (In ep. "Occasio fuit fortasse unica...", 6 Mai. 2008).

14) CAROLUS PRIETO: "De Irena Sendler (1910-2008). Multos quae pueros Polona horrendo exceptit femina leto, eademque capta manibus carnificum vix effugit ipsa suorum, Irena Sendler, heri nonaginta et octo eductis annis naturalem causam obiit, tanta proximi caritate et contemptu sui praedita mulier, uti durante dictatura Germanica, cum conservati Iudei poena dabatur capite, non timuerit centena puerorum capita liberare [...]" (In ep. 'De Irena Sendler', 12 Mai. 2008).

15) CYNETUS (Kenneth Walsh), Americanus: "Tandem amici ex libro "Lingua Latina sine Molestia" noncupato haec recordor: Calvities frontem ita amplificat ut homo calvus callidior videatur quam homo capillatus et hirsutus" (in ep. 'De calvitie deque stulta vulgi opinione', 20 Febr. 2008).

16) DANIEL BLANCHARD, Francogallus Lutetiensis: "Valde delector musica! Sic semper fuit, quam ob rem constitui ante duodecim annos cantu classico profiteri. Neque desunt inter nos latine loquentes, qui optime musicam canunt aliquo instrumento [...] In circulo latino Lutetiae, quem moderor, nonnulli sunt qui callide seu munere seu dilectionis causa musicam colunt artem. Non enim arbitror musicam penitus differe a latinitatem quam omnes cum intimo fervore servamus, nam ei sunt rythmus, intonationesque mirae" (in ep. 'De Musica', 16 Nov. 2008).

17) DARCIUS CARVALHO, Brasilianus: "Societas humanas ut ordinate vivant, necesse est oboedientia collectiva legibus, moribus et regulis socialibus. Violatores ergo ordinis socialis puniendi sunt exclusione sociali [...] Perfecta exclusio enim mors immediata esset, quae

historice inficta semper fuit criminalibus. Nihilominus societas occidentales, duplices, cumplices et tergiversantes, quae non vacillant se ferire bello, armis lethalissimas, generose recusant applicare ipsum pharmacum criminosis suis, qui pollulant carceres sordidos, illatos obscenosque, in nomine iustitiae et ut dicunt humanitatis [...]" (in ep. 'De carcere', 20 Mai. 2008).

18) DEMETRIUS SCRIBONIUS, Russus: "Quid ergo, ut ad rem redeam, censeo de eo, quod in Somalia nuper accidit? Hoc unum praecipue, non meum esse negotium somaliorum inter sese gesta iudicare. Faciant in sua terra quae velint dummodo mihi non dicant quid faciam in terra mea [...] Nullius nationis mores tam pravos iudicare volo ut caussam videantur dare aggressuos in eam nationem sanciendi; eodem enim pacto sancirentur et in nostras nationes innumerabilia aggressionis desideria" (in ep. 'De muliere somaliana', 3 Nov. 2008).

19) DEMETRIUS SCRIBONIUS: "Demetrius Scribonius sodalibus Solem, ceterosque maiorum nostrum deos, colentibus s. p. d. carmenque brumale brevius propriae ad vetustum modum confectionis amiciter profert [...] Ave Sol, duone Sol, ave Sol, summe Sol; ave semper, macte Sol, maxsumeinvicte ! Fer huc teponem vires veitam; dispelle noctem, lucem promittens. Opprime mortem frigos torporem; devince hostes tuei nostreique. Sequere eex cailod acta mortaalium; pateface scelera hominum scelestum. Semper es propitios nostreis rebos; omnis tuom nomen claarans beetur!" (in ep. ,Solis laudatio', 25 Dec. 2008).

20) DIONYSIUS SILVANUS (Dennis Wood), Britannus Birminghamensis: "Multi autem - eheu! - sermone quotidiano haec verba ['fascismus' et 'fascista'] usurpant parum subtili modo ut contumeliam alicui faciant atque indignitatem perferant [...] Ad rem venio. Sufficit ut optimum librum legamus de vita huius viri fere Romani cui nomen "Like the Roman: The Life of Enoch Powell" auctore Simon Heffer (Londinii: impensis Weidenfeld & Nicolson, 1999). Manifeste nullo modo "fascista" erat, sed senator institutorum et consuetudinis senatus Britannici peritissimus qui senatui semper favebat" (in ep. 'Fuitne <fascista> Enochus Powell?', 10 Febr. 2008).

21) DIONYSIUS SILVANUS: "Temporum enim rationem graviter perturbamus atque miscemus ubi de moribus consuetudinibusque saeculi reginae Victoriae secundum normam temporis nostri iudicium adhibemus. Nam notionem amicitiae apud maiores nostros omnino fere amisimus. Satis constat porro J H Newman abstinentem fuisse cupiditatesque continuisse. Utrum ossa sua eruenda sint et in Oratorio iterum sepelienda necne decernat ecclesia Romana: ultima voluntas etiam huius sancti posthabenda est voluntati ecclesiae quam tam copiose ab iniuria defensabat" (in ep. 'De nonnullis catholicis trucidatis deque controversia quadam sepulturaria', 26 Aug. 2008).

22) DIONYSIUS SILVANUS: "Tot iam sunt advenae Mahometani in Britannia qui liberis operam dant ut huius insulae indigenas immortali odio persequi necesse fere non sit: serius ocios rem leviter sine cruento geret religio Arabici prophetae. Victoria incruenta erit et *demographica*, sicut in aliis partibus Europae [...]" (in ep. 'Natorum incremento regnum Britannicum occupabimus', 13 Sept. 2008).

23) DONALDUS RYAN, Americanus: "De quaestione in huius epistolae fine, nempe, "Nonne Maria ipsa contra voluntatem gravida facta est," Sacra Scriptura manifesto declarat Beatissimam Virginem Mariam libere, sua voluntate, accepisse Filii Dei incarnationem. Mater Dei humiliter Archangelo respondit, "Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum."" (in ep. 'De abortu/ et de quodam eius effectu mulieri nocivo', 17 Mart. 2008).

- 24) EDUARDUS CASEY, Americanus Minnesotanus: "Nescio utrum omnes professores Latinitatis iam dudum hoc forum deseruerint necne sed alii professores (videlicet linguae Francicae, musicologiae, aliarumque scientiarum), sacerdotes, studentes universitarii, fortasse et meri fautores L.L. nomen huic petitioni dare poterunt: <http://tinyurl.com/6l4rsb> Cum tam magni momenti sit Latinitati vivaे haec studia mediaevalia, omnibus saltem professoribus suadeo ut nomina sua huic demoscopio dent" (in ep. 'Petitio', 13 Sept. 2008).
- 25) EDUARDUS CASEY: "Si Catholici offendantur penitus me paenitet sed iam dudum fuit quasi dictum tritum (platitude) de Iesuitis qui dicerentur rebus profanis, hominibus divitibus magis dediti quam sodales aliorum ordinum. "Accedit vir quidam sodalem ordinis Sancti Francisci Iesuitamque quandam a quibus quaerit, "Quot preces novendiales Deo effundendae sunt ut tibi unum Mercedes Benz consequaris?" Cui religiosus Franciscanus fatur, "Quid rei sit illud Mercedes Benz?" Iesuita autem rogat, "Quae sunt preces novendiales?" (in ep. 'Jocus qui (fortasse) Catholicis displicebit', 14 Nov. 2008).
- 26) FRANCISCA PARVA, Britanna: "Patriam nostram, Dionysi spectatissime, sibi necem consciscere tibi omnino consentio quae in dies maerore afflita sum. Verba istius archiepiscopi umquam in hac nostra patria auditum iri quandam non credidissem sed his diebus plura mala - et peiora - semper exspecto. Cottidie tecum cogito "Quid hodie audiam? Quid cras? Quid patriae meae accidit" Numquam tamen obstupesco" (in ep. 'De lege Mahumetana fovenda', 9 Febr. 2008).
- 27) FRANCISCA PARVA: "Primum, non est ulla causa, mea sententia, cur Latinitas ut oblectamentum, ut officium, ut necessitas simul ab uno eodemque persona non colatur. [...] Lingua Latina mihi quidem, puellulae annorum tantum tres quattuorve, nescio qua de causa, procul dubio pulcherrima erat et etiamnunc est. Quae pulchritudo - et nihil aliud - me hortata est ad linguam descendam colendamque. Hodie certe hanc linguam colo ut 'officium' quoque sed nihilominus officium suavissimum necnon oblectatorium" (in ep. 'quod est tibi propositum quoad Latinitatem?', 14 Oct. 2008).
- 28) GULIELMUS CELESTINO, Argentinus: "Laetus video hoc genus musicum nostrum ['tango' vocitatum] Romae valere [...] cognovi sodalem Italum qui tangonem canit cum orchestra sua, 'Ausonia' nominata!, in Urbe Aeterna atque nunc Romani spectaculum, de quo certiores Victorii nos fecisti, parant. Dixi 'valere' sed omnino non valet nusquam, ut olim valebat, neque in Argentina [...] nunc musica in illis ipsis locis stultissima auditur: ut frequenter accidit, mores paulatim amittuntur" (in ep. 'Quaedam de saltatione 'tango' vocitata', 30 Aug. 2008).
- 29) HERBERTUS DOTING, Batavus sive Nederlandus: "ego, qui Anglice sciam, tamen Latinam linguam praefero aliis linguis (inter quas et Nederlandica), praesertim cum aliquis e Grege nescioquid sermone Romanorum nobis monstrare vult" (in ep. 'Potestas et risus', 27 Oct. 2008).
- 30) HERBERTUS DOTING: "imprimis tibi, Manfrede, gratias agere velim, quod fecisti, quod facturus eram, nempe ut exempli gratia verba illius Caelestis Eichenseer proponendo sodalibus meis monstrarem, unde mihi illud adiectivum, quod est mundanus,-a,-um. nam illius viri consilio nisus, nomine "belli mundani" uti ausus sum. ceterum, idem Caelestis Eichenseer scripserat nullam linguam solum ex duobus auctoribus (c.q. Caesare et Cicerone) constare. sunt igitur innumeri fontes, ex quibus nos cultores vivaे Latinitatis convenienter haurire possumus, ut necessarium non sit, ut circumlocutionibus nimis prolixis alios fatigemus latinistas" (in ep. 'me Ciceronianum non esse', 4 Dec. 2008).

- 31) HUGO BANYERES (Hug): "Adhuc nescio cur "punica" denominetur lingua non latina. Non refert. Sed praecise maluissem quod nomen meum, Hug, germanico ex origine, maneret tale quamquam punicus videatur. Habet enim compositionem unicam, nam constat tribus litteris, quorum prima est muta, secunda debilis, tertiaque surda, quibus conditionibus fere est nihil, et hoc placet mihi magnopere, quia senex sum et opportet assumere diminutiones in omnibus. Tamen non careo humore sano" (in ep. 'NON LICET!', 23 Nov. 2008).
- 32) IANUS LUCAS di CASTRI, Italus: "Opinionem meam patefacio an sermo latinus lingua mortua aut lingua viva sit. Si putamus linguam mortuam esse linguam quam nemo pro sermone patrio habet, vel potius linguam quam nemo ex parentibus suis didicit, sermo latinus lingua mortua videtur. Attamen sermo latinus lingua viva Ecclesiae est, ac uti potuerit tamquam lingua internationalis foret [...] Ad usum hodiernum linguae latinae, prima quaestio est compositio novorum verborum: si latine loquimur, egemus verbis aptis ad recentiorem vitam" (in ep. 'De recentis Latinitatis quaestionibus', 28 Jun. 2008).
- 33) IOANNES OLEASTRENSIS (Juan Garcia Gutierrez), Hispanus: "Rationis somniantis monstra considerari possunt tot doctrinae quae humano generi nefastae sunt ortae ex mentibus illuminatis illorum qui eas pepererunt. Sic totalitarismi cuiusvis speciei, fascismi, fanaticismi, cetera. Sed quamvis sensus symbolicus inscriptionis admitti potest, non verisimile mihi videtur hanc fuisse veram mentem auctoris, ex eo quod monstratur et inferri licet ex picturae ipsius conspectu. Hominem sopitum videmus, et supra eius caput, aliqua volatilia nocturna, velut vespertiliones, striges et bubones circumvolitantes. Quibus somnium hominis dormientis repreäsentatur [...] Non ratio ergo, sed homo praeditus ratione somniat. "El sueño de la razón produce monstruos" significat, mea quidem opinione, mens somno sopita somniat interdum monstra" (in ep. 'De Francisci Goya sententia quadam', 11 Mart. 2008).
- 34) IOANNES OLEASTRENSIS: "Utinam bonis omnibus (hominibusque bonis) eveniat quod ex OBAMA nomine augurari licet. OBAMA enim, si retrosum legerimus, Latinum verbum inveniemus AMABO. Mac Cain candidos habet capillos; Obama autem nigros. Sed cum Vergilio sentiamus illud "nimium ne crede colori". Obamae color pellis fuscus est; albus vero Caino. Sed "quamvis ille niger, quamvis hic candidus esset", mutationis prospectus quos America desiderat maiores sunt ex Obamae iuventute exspectandi quam ex Caini senectute. Iuventuti credite, cives Americani, quae mundi spes semper fuit! Et lex quaecumque sequatur (Stat. Silv. 5.3.276)" (in ep. 'OBAMA, AMABO', 4 Nov. 2008).
- 35) IOANNES WHELPTON, Britannus Honcongensis: "Quamquam multo per annos in Sinibus habito neque iam doctrinas religiosas credo, Britannus sum et ex stirpe Catholica ortus. Tibi gratias magnas ago, Victori optime, quod de rebus in Italia a Britannis gestis sine ira et studio scripsisti [...] sed ipse vix credere possum in Bello Secundo Universo moderatores Britannos vel partem magnam militum nostrorum pontificem tam odisse ut pyrobolos in Vaticanum de consulto iacere vellent. fortasse erant milites singuli (praecipue inter Protestantes in Hibernia Septentrionali natos!) qui tanta ira insaniebant sed habitus mentis plororumque non isdem erat atque olim fuerat" (in ep. 'Romam servare non quivit Pius XII', Kal. Oct. 2008).
- 36) IOSCIUS ROCCHIO, Americanus: "Quidem illam inventionem legens ridebam, nam certe natus 12 vel 13 annos ipse istud punctum inveni [...] Transcribo etiam paragraphum Realdi Colombi quod primus Iustinus noster Mansfield mihi indicavit. Realdus, medicus Patavinus, se vindicavit primum landicam invenisse: <Realdus Columbus, De Re Anatomica (1559) book 9, p. 243>: 'Processus igitur hi ab utero exorti prope id foramen quod os matricis vocatur, extra abdomen exeunt; supra pubem ascendunt; desinunt autem in particulam quan-

dam excelsam in vulvæ apice circumvolutam supra id foramen, unde lotium exit. & hæc lector candidissime illa, illa preæcipue sedes est delectationis mulierum dum venerem exercent [...]. Valete omnes et vivat Punctum G!" (in ep. 'Punctum G, de quo nonnulli disputatione inventum est', 22 Febr. 2008).

37) IOSEPHUS FABER, Hungarus: "Nuperrime haud paucas epistulas argumentationesque pretiosarum sententiarum varietate abundantes, valde aptarum ad alliciendos animos, legere potueramus quod spectat explicative et enodat partes viro amplissimo actas, scilicet Summo Pontifice Romano Pio XII, utrum gravem severamque personam sustinuisse, an personam suam male esse tuitus ille dici potest. Ut mihi quidem videtur, expedit vel 'dignum et iustum est' illius viri, ante quinquaginta annos de vita decessi, recordari, omni laude digni et multa virtute ornati, sed haud omnibus numeris absoluti" (in ep. 'cogitationes de Pio XII', 8 Oct. 2008).

38) IOSEPHUS FRANCISCUS BOTELHO, Brasilianus: "Christianus Arabicus sum, Ecclesiae Maraonitae Phoeniciae, atque multos Islamicos nosco. Inter eos, nullus ferus sive rabiosus sive immanis sive "fanaticus" est. Religionem meam respiciunt. Immanitates atque feritates, de quibus saepe legimus, reprobant. Fanatici sunt etiam in alteris religiosis gregis. Verbi gratia, in subcontinenti indiano, Christianos ab nonnullis rabiosis Hindianis persecuti sunt. Mulier religiosa Christiana stupro violata fuit a populo in via publica [...] Sed, semper, verba "immanitas" atque "feritas" cum Islamicis atque Arabicis continentur" (in ep. 'De muliere Somaliana lapidum iactu necta', 31 Oct. 2008).

39) IUSTINUS MANSFIELD, Americanus: "Hodie vespere inceperunt feriae Iudaicae cui nomen est "Encaenia." Quod festum aliquanto mirum est: cum solum a Iudeis celebretur, historia eius non in Bibliis Hebraicis invenitur, sed in Apocryphis-qui libri non Iudeis sed Christianis sacri sunt, neque his omnibus, Protestantibus eos reicientibus. Praeterea, nomen Latinum reperitur semel tantum in sacra scriptura, et hoc quidem in Novo Testamento! (Ioh. 10:22) "Encaenia" sane "renovationem" significat, scilicet altaris Hierosolymitani, et eundem sensum habet nomen Hebraicum quod transcribere solemus Hanukkah" (in ep. 'Encaenia', 22 Dec. 2008).

40) IVO SOUZA, Indus Goanus: "Vos fruimini non solum latino sermone sed etiam crustulis sparsis nuce et herbarum suavissima infusione cum gutta lactis. Sermo latinus nobis suppeditat gaudium et dulcis vitae donum. Proh dolor! ibi adesse non valeo, ut his donis Dei hominumque fruar. Venustate dignitateque praeditum sermonem Ciceronis colamus et animo ac corde ditiores fiamus!" (in ep. 'Semel in Academia', 19 Iun. 2008).

41) LAURUS POERSCH, Brasilianus: "Illacrimaris et tu utique atque cunctus Grex illacrimatur. At nonne frustra illacrimamur? En etenim et Deus una cum choro Angelorum in paradyso eum [i. e. Caelestem Eichenseer] ad infinitum accepit" (in ep. 'De epistula quadam', 20 Febr. 2008).

42) LUCIUS ALTER (Robert Zisk), Americanus: "Iosephus Arimathæae ... vii annos miles fuerat Pilati et solum pretium militare sibi quaesivit ut corpus Salvatoris de cruce deprehenderet, quod ei donum vidbatur maximum sed Pilato, cum Iosephus optime ei serviret, tam minimum ut, si aurum aut terram quaesiisset, libenter ei dedisset, quam ob rem ei donarit Pilatus corpus salvatoris quod, ut putavit, debuerit trahi per urbem Hierosolymitam et praeter pomerium poni in loco malo. At miles bonus aliter voluit corpus honestavit et in monumentum sacrum posuit, et pilum conservavit quod per latus penetravit, et gradale sanctum in qua fautores eius sanguinem animis stupefactis acceperunt qui, Salvatore ad crucem affixo, de

vulneribus egressus est. (Perlesvaus aut Altus Liber Gradalis Sancti, ed. Nitze)" (in ep. 'aliam fabula paschalis', 23 Mart. 2008).

43) MARITONUS SILVA LIMA, Brasilianus: "Constitutio est cuiuspiam nationis lex fundamentalis sive lex prima. Praeter monarchiam, aristocratiam et democratiam, est constitutionalismus, qui in divisione consistit inaequata supremae potestatis, ita ut electis a populo competit leges condere, quae tamen nonnisi per consensum principis vim legis sortiuntur. Constitutionis peritus sum et articulos scribo circa Brasiliae Constitutionem" (in ep. 'Constitutionalista, ae', 25 Dec. 2008).

44) MAXIMUS APOLLINARIS (Massimo Scorsone), Italus Taurinensis: "Quae autem sint, te iudice, nos apud Italos istae "viliores qualitatis" universitates rogo, uti tute nuper scripsisti, seu studia potius Italica, Ivo doctor idemque docte (ita enim adnomineris oportet, qui bene sapis, cum doctrina titulis Academicis, proh dolor!, et praecipue Saturniis heic in oris non semper adaequetur), extra videlicet omnem disputationis propositum, quia notitiam istam ab advenarum ore, vel calamo, scire mea valde interest" (in ep. 'de Italico quodam opprobrio', 22 Iun. 2008).

45) MAXIMUS APOLLINARIS: "Quid verum plura? Haec tantum, si per te licet, bona que tua pace: nam recentiorem tantum scripsi Latinitatem, non *novlatin* neque *Latinam* illam linguam *sine flexione* (a Iosepho nostro Peano, Italo Pedemontano mathematico insigni, iam alias praesumptam, sed, hei nobis!, non tam feliciter...), neque Macaronicam -- quam ceterum, litterarum atque rusticitatis cuiusdam gratia, sapidissimam puto --, absente videlicet ulla verbis iniuria, neque aliam dialectum ficticiam, quamquam Latinitate radicitus altam" (in ep. 'De Semantica vel Semasiologia Latina', 24 Iun. 2008).

46) MICHAEL COSTA (Rui Miguel), Hispanus: "Valde intelligenter, Demetri Scriboni, evocasti memata et pugnam eorum pro superviventia in connexione cum miserabilibus consiliis aliquorum Britanicorum de delenda lingua latina nobis tam cara [...] Quod his diebus tristiter videmus est quidam impetus annihilandi memata latini et classicae culturae, et cum his, pilas et fundamenta civilizationis, quae nihil substituere apparet nisi quaedam barbaritas ac stultitia" (in ep. 'De linguarum bellis anglicoque sermone purgando', 7 Nov. 2008).

47) MICHAEL MONTEIRO: "Homo ille [Magdi Allam, Aegyptius Italiensis] sciabat (nam saepe in extremos Muslimos scripsit) eas consequentias credibiles, etiam elegit se, in die Paschali, in Vaticano, ab Papa ipso, Catholicum facere! Hoc est insanum! Loci ignoti ab sacerdote minore fuerat ille Catholicum faciendum, elegisset ego [...] Non oportet saevos extremos provocare. Adhuc multa menda facta scilicet ab me sunt. Excuso me denuo" (in ep. 'De viro, qui olim muslimus, nuperrime catholicus factus est', 25 Mart. 2008).

48) PATRICIUS TWOMEY, Americanus: "Multos carceres habemus et semper plures aedificantur [...] Certe alii sunt modi pundiendi illos homines, sed in America Septentionali saepe homines innocui qui aliam legem fregerunt in carerem mittuntur. Non raro est condicio tragica. Virum scio, gratia verbi, qui in carcere laborat. Est psychologus qui homines qui facinora sexualia commiserunt curat. Inter viros quos curat est iuvenis agens annum septimum decimum suum qui intime erat cum amica sua. Fuerunt inter se libere. Non per vim eam stupravit. Etsi, quia sunt iuvenes, ille vir est in carcere. Est, mea equidem sententia, res absurdia et tragica hoc in modo illum iuvenem punire" (in ep. 'De carcere', 20 Mai. 2008).

49) PAULUS KANGISER, Chilianus: "Cum Demetrio valde consentio; ego quoque comperi nos ab academicis universitariis saepe contemni (paucis exceptis), quia Nostro Marte linguam vel didicimus vel nos parum ac partim olim docti sumus, nunc vero intendimus labore sed

libenter pernoscere [...] Latinitas non firmabitur et vulgabitur nisi ex ampio consortio inter magistros, quibus est munus atque officium, et nos, qui iure ac merito ea multis rebus utimur, etiamsi oblectamento" (in ep. 'Tres resculae de Latinitate', 8 Oct. 2008).

50) PAULUS VILLAOSLADA, Hispanus: "Totus grex tecum conlугет. Et si sunt qui taceant in aterrimis his prae verecundia magis quam ex inhumanitate reputandi sunt. Complures commoti sunt tuis laboribus silentes. Difficile quidem videtur invenire apta verba ad tantam aerumnam. Vale quam plurimum, noster Andreas [Smelik]!" (in ep. 'Exiit sed non obiit', 19 Nov. 2008).

51) RADULFUS FORESTIERI, Americanus: ""Islam" Latine significat "submissio". Qui hanc observat legem se Koriano absolute se submittit, ac secundum hanc submissionem "infideles" qui non submittuntur Koriano absolute morte (praesertim decapitatione) digni habendi sunt quin quisquam excipiatur. Non omnes Musulmani illi "rabiosi" sunt sed illa submissio recte intelligenda est absoluta. Unde oritur irreconciliabilitas Islam et qualiscumquae fidei, Atheismus non excluditur" (in ep. 'De lege Koriani', 4 Nov. 2008).

52) RADULFUS PLATZ, Americanus: "Necesse est mori. Dum homo vivus est, necesse est respirare. Dum homo rationaliter conscient est, necesse est sensibilia percipere, essentias intelligibiles abstrahere, et existentiam rerum intellectuarum affirmare. Aliter agere non possumus" (in ep. 'De Necessitate', 4 Ian. 2008).

53) RANUCIUS PUER: "Vir quidam pharmacopolium intrans a pharmacopola quaerit, an sibi vendere possit unam pilulam viagra appellatam. Pharmacopola talium pilularum se semper complures vendere consuevit, sed nunc huic viro exceptionem daturum esse respondens pilulam singularem in mensa ponit. Vir nunc pharmacopolem orat, ut sibi hanc pilulam in pulverem conterat. Pharmacopola stupens annuit, armamenta idonea apportat et pilulam in pulverem conterit, quem vir scidula nummaria convoluta naribus in cerebrum aequa ac cocaineum haurit. Pharmacopola magis magisque stupens eum interrogat, qua de causa id fecerit. Cui vir: "Quia mihi seni res ad amorem pertinentes solae in cerebro fieri solent!"" (in ep. 'De pilula Viagra vocitata', 30 Dec. 2008).

54) RODERICUS SANCTIUS (R. Portela Sanchez), Hispanus: "In scriptis Romanorum antiquorum nonnumquam apex positus videtur et in vocale brevi sed quæ propter sonos vicinos clausa enuntiatur, ut vocalis longa; unde talem usum verisimiliter ortum esse dicitur, exempli gratia, professor Allen in opere ejus de pronuntiati Latino cum talia tractat, apud Romanos antiquos qui quidem plerique nihi de rebus phoneticis sciebant sed quibus i brevis clausa simillima audiebatur i longæ eidemque clausæ, ut i brevis ante -gn- ut in vocabulo quod est "dignum", quod cum "i longa" (cum i altiore in scripto) legere licet" (in ep. 'De vocabulis latinis productis', 24 Aug. 2008).

55) SANDRA RAMOS, Hispana: "Hispana profestrix sum uitamque ago eadem in urbe ubi natus est ille egregius Romanus qui recte scripsit "neque esse ullam disciplinam, in qua non peccando discatur". Linguam latinam didici eamque ideo doceo tanquam "mortuam", sed mihi cordi est et uolo eam discere et docere tamquam "uiuam"" (in ep. 'Salutationes quadam ex Batica urbe antiqua et meridionali', 21 Jul. 2008).

56) SIMONA KARLHUBER, Austriaca: "Simona omnibus, qui de amore curant (id est omnibus, nonne?) s.d. Punctum G exstare puto, sed neque unicuique mulieri notum neque eiusdem momenti est. Vobis omnibus autem consulo unam rem: nolite dubitare cum amasio vel amasia de rebus huius generis aperte loqui!" (in ep. 'Punctum 'G', 24 Febr. 2008).

- 57) SLAVOMIRA, Polona: "Wilbadius scripsit: [...] Nil ergo video prohibens quin illud 'tuicio, -ere' latinitati introducatur. Ego: Verba nova non sunt odiosa - verum etiam maxime necessaria, nam semper novae res in mundo apparent creanturque. Sed non potes haec fingere ut tibi vis - regulae, quae linguae cuiusque innatae sunt, diligenter tibi observandae sunt [...]" (in ep. 'Vocatus irritus-admonitus nugatorius', 18 Ian. 2008).
- 58) STEPHANUS ARX (S. Rocca), Italus Genuensis: "Rectissime te monuit Voijnus noster: nihil melius videtur Oerbergiana methodo, quam ipse <http://xoomer.alice.it/strocc/index.html> valde laudo proboque! Nihilominus tibi meditandum est de rationibus quibus tibi in animo est linguam Latinam docere discipulos tuos. Ut tibi sit tempus, oportet tirones in libros Oerbergianos incumbere posse tres vel quattuor annos" (in ep. 'Lingua Latina per se illustrata', 28 Mart. 2008).
- 59) STEPHANUS ARX: "Ingentissimas gratias tibi ago, Eduarde optime, pro isto nuntio [<http://tinyurl.com/6l4rsb>], quod maximi momenti revera est. Statum enim Latinitatis pessime versatur in toto orbe, ut patet. Subsignavi ipse nuper, hesterno die" (in ep. 'Petitio', 14 Sept. 2008).
- 60) STEPHANUS DI BRAZZANO, Italus Tergestinus: "Accepto nuntio de Vidonis Angelino obitu, facere non possum quin maerore afficiar. Vidonem illum conueni hic Tergesti anno MCMXCVI, suauemque semper eius memoriam in corde retineo. Luculentam commentationem eius de latinam linguam docendi methodo necessario innouanda immutandaque, in recentissimo Latinitatis fasciculo uulgatam, auide uolupque legi, miratusque sum uirum tam aetate prouectum adhuc dilucide Latine scribere necnon noua semper cupere posse" (in ep. 'Vido Angelino, praeclarus Latinista, mortuus est', 29 Apr. 2008).
- 61) THOMAS HUCKEMAN, Germanus Peruviensis: "In hora primi terrae motus ambulavi Feria quarta praeterita iuxta litorem maris, sic nihil mihi laedere vel cadere potuit. Sed multae domus atque Ecclesiae rutae sunt [...] Praesertim rogo orationes vestras ad erigendam spem et fidem hominum. Non obstante calamitate hac in Bogotam vehi volo ad conventum sacerdotum ex Germania ortorum diebus XIX ad XXVII mensis Septembris. Cum quo convenire possim ad loquendum latine - primum in vita mea?" (in ep. 'De terraemotu', 21 Aug. 2008).
- 62) THOMAS IHNKEN, Polonus: "Equidem plus quam XXIII annos in Academia studiosos/-sas Theologiae docui Graecam antiquam more Erasmiano, quia miro modo omnes theologi -exceptis theologis Graecis!- eo pronuntiatu utuntur. Hoc est factum vere mirabile. Sed ad rem: Praeparavi paginam interretialem, in quo legitur historia Nativitatis Christi secundum Lucam, in duabus versionibus: Primum praebetur textus originalis omnibus accentibus et spiritibus veteris Graecae instructus. Infra sequitur illa versio "pseudo-moderna", quae per programma TTS audiri potest. Pagina mea interretialis: <http://tinyurl.com/6fqw88>" (in ep. 'De lingua graeca discenda', 16 Dec. 2008).
- 63) THOMAS KEELINE: "Etiam centones placere possunt, si bene compositi; nihilominus equidem nullo modo talem eloquentiam affecto. ut Marcus Antonius Muretus olim opinatus est: "picarum et psittacorum ista eloquentia est, auditas uoces iterare ac reddere neque quidquam umquam dicere quod sit uere ac proprie tuum," ita ego [...] Mihi autem uidetur imitatio necessaria atque haud semper mala: hodie non exstant qui Latina ut lingua materna utantur, et paucissimi qui bene scribant (nedum loquantur). respicimus igitur ad ueteres ut magistros eloquentiae, qui optimi habebantur scriptores tali tempore cum etiam nutrices mulionesque Latine loquerentur" (in ep. 'De agris, qui nonnumquam fructus acerbos ferunt', 21 Dec. 2008).

- 64) VALAHFRIDUS LINGENBERG, Germanus Palatinus: "Nonne quidam iter faciunt non ut e sua vita effugiant, sed ut aliorum hominum locos moresque cognoscant et doctiores redeant deque sua ipsorum vita sapientiores iudicent? Nonne quidam domi manent non ut oneri suo non cedant, sed cum e consuetudine exire non audeant timeantque ne patriam suam postea minoris aestimare cogantur postquam viderint etiam alibi homines mirabilia proficere, locos amoenos extare?" (in ep. 'Iter facere', 16 Nov. 2008).
- 65) VILLELMUS COOPER, Americanus: "Non omnino correctus, Paule [Kangiser] eximie, linguae Latinae titulus "mortua" est, etiam de liberis hodiernis. Amicum habeo meum qui ut puer parentes suos audivit Latine loquentes, et quamquam is et soror eius non illam linguam intellexit, sciverunt ambo parentes suos liberorum disciplinam disputavisse. Quoque lingua Latina utuntur multi parentes hodie qui liberos suos domi docent (home schoolers). "Moribunda" aut "latens" aut "crescens" tituli meliores pro lingua dilecta nostra sunt, ut opinor" (in ep. 'Utrum lingua Latina omnino mortua sit necne', 16 Dec. 2008).
- 66) WILBAIUS NJOROGE, Kenianus: "Observatus est a me diebus recentioribus in urbe Nairobiensi magnus numerus virorum calvitiem suam celare conantium radendo caput, ut putaretur a vulgo eos esse calvos sua voluntate non naturalibus causis [...] Haec mea sententia est manifestatio sententiae S. Augustini, turbam semper in caligine erroris ambulare, nam quid est nisi maximus ac perniciosissimus error illud quod per naturam fit erubescibile cogitare?" (in ep. 'De calvitie deque stulta vulgi opinione', 19 Febr. 2008).
- 67) WOLFGANGUS KATZENSCHLAGER, Austriacus: "Gratias tibi pro inscriptionibus Confluentibus (Koblenz) inventis et a te ad nos redditis habeo atque ago. Quod attinet ad chronogrammata, ego nunc interpretari conabor. Tres sunt inscriptiones, duo sunt indicia annorum, scilicet 1705, 1707. Quod etiam e textibus praebitis declarari potest atque argumento congruit. Prima inscriptio haec est: obIIt/ henrICVs VVoLterVs a gaerz/ prInCipIs eLeCtorIs treVIrensiIs/ ConsILLiarIVs et seCretarIVs IntIMVs = 1705 (MDCCV) xiv ann. Nota bene: Omnes litterae, quae signa quoque numeralia adhiberi possunt, maiusculae scriptae computantur. Signa autem numeralia vera (e.g. xiv. ann.) ex hac ratione excipiuntur. Secunda inscriptio haec est: qVeM/ post paVCos VItae annos/ InseCVta trIstIs eIVs ConIVnX/ anna ChrIstIna a gaertz nata koLb/ hIC parIter qVIlesCIt = 1707 (MDCCVII) xiv novembris. Tertia inscriptio (simplicissima quidem) haec est: Vna DorMIant In sanCta paCe = 1707 (MDCCVII)" (in ep. 'Inscriptiones Confluentinae cum chronogrammatibus', 6 Nov. 2008).
- 68) XAVERIUS (Javier Martinez), Hispanus: "'Quo', in sententiis de quibus agitur, illud est quod semper est: ablativum nempe neutrum pronominis interrogativi-relativi, adhibitum jam ad significationem localem ('in eum locum'), jam ad instrumentalem, jam ad ceteras. Usu interrogativo omisso (modus verbalis subjunctivus hic exigeretur) illa 'quo' verba quomodo documque subjungunt et 'satagit' (in prima sententia) et 'inhiat' (in sententia altera). 'Quia' ergo non ea verba regit, sed 'concupiscit' et 'exsultat'. Sententiae certe clarissime intelligere possumus sine iis 'quo', sed ea nullo modo supervacanea sunt. Nam hoc est quod auctor dicere vult, nisi fallor [sententiae sunt hae: 1) "Non est ambitiosa, quia quo ardenter intus ad sua satagit, foras nullatenus aliena concupiscit"; 2) "Non gaudet super iniquitates, quia quo sola dilectione erga omnes inhiat, nec de perditione adversantium exsultat"]" (in ep. 'Quaestio grammatica', 31 Mai. 2008).
- 69) XAVIERUS (Javier Fran), Hispanus: "Quamquam Goya forsitan nesciret interdum rationem somnium monstruosum esse, nos satis id didicimus (ceterum iam tunc reuolutionarii magistrati rationales in Vandée necare fecerant, praeter guillotinam, quam minime CXX milia hominum ubi tantum DCCC milia erant) [...] Philosophi, sua uice, iam reperierant rationem

non omnia elucidare posse, irrationale esse omnipotentem eam putare et quam irrationaliter agebant "rationales" magistrati qui eam deificabant" (in ep. 'Quid Ioannes Spadolini de illa Francisci Goya sententia censuerit', 12 Mart. 2008).

70) XAVIERUS: "De abortione artificiali, Carole, casus quem nuntiauisti corroborat quod zoologice obuium est: foetus humanos esse homines in fetali aetate, quam omnes mamiferi habent. Alia quaestio est utrum iura humana debeant habere foetus humani an non nam aliud est natura ac aliud est cultura, sed intellectualiter ac moraliter haud iustificabile mihi uidetur fauere abortioni artificiali negando foetus esse homines [...] Vere, culturaliter societates possunt negare obvia et adhuc nulla societas iura humana plena dedit omnibus hominibus, et etiam exstat quaestio de possibili contradictione inter matris iura ac foetus iura, sed manet quod negare foetus esse homines est tamquam negare homines esse mamiferos" (in ep. 'Incredibile dictu', 21 Aug. 2008).

Pisauri, Kal. Ian. a. MMIX p. Chr. n. // a. MMDCCCLXI ab Urbe condita.

Vivitur ingenio, cetera mortis erunt (Andreas Vesalius).

Victorius Ciarrocchi, Italus Pisaurensis.